

Christi morte etiam in Europa parum & segniter diceret? Multi Iesuitis criminose & suspiciose exprobrant, quod mortis & crucis istius ignominiam Sinos celent, verentes ne ea offensi, refugiant a sanctissima Dei religione. Quod si ita est, haberi non modo fraus, sed etiam sacrilegium debet, aut si quod sacrilegio maius flagitium est. Fecit utique Iangquangsienus in libro *Pi sie lun* aduersus religionem Christianam scripto eius criminis reos Iesuitas: *Que el Padre Mateo Riccio callo la passion y muerte de Christo, lo qual hizo para enganar la gente.* Quod *Matthaeus Riccius de cruciatu et morte Christi siluerit, videlicet quo imponeret toti genti.* Dominicus Nauarreta (\*), a quo haec accepi, non modo de Riccio fatetur, sed idem crimen etiam ceteris Iesuitis impingit. Scio equidem multa scribi in eum modum ab his, qui ut quam sceleratissima habeatur ea Societas, plurimum sua interesse putant. Et istum Nauarretae librum veluti fontem omnium criminationum, quibus Iesuitae ab Antonio Arnaldo ceterisque vexati sunt, Carolus Gobienus et tota illa familia haud ignaue oppugnarunt, quo nullam fidem auctor, solam eruditionis et venustatis laudem (quam nemo tam iratus aut iniquus fuit, qui eripere vellet) liber haberet. Sed tanta eius viri auctoritate, tanto ingenio, et quod pluris in hac causa facio, aequitate et candore alioqui non obscuro, libro praesertim edito in Hispania, tam molesto et suspicioso censorum iudicio, nondum possum mihi imperare, ut raptim omnem eius fidem damnem. Tamen quod ad causam pertinet, non possum dissimulare, Berolini in bibliotheca Augusta historiam et vitam Iesu Christi extare, hoc titulo: <sup>(6)</sup> *Tien zschukiang seng ischo siang king kiaq. Coelorum siue coelestis Domini Dei que descensus, vita, egressus, imagines cum operis siue tractatus explicacione.* Aut *liber descensum, vitam, egressum, imagines explicans*, nihil enim interest vtrum in modum in-

(\*) f. 356.

ter-